



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De freno per quod multa fiebant miracula, cùm eiusdem martyris esse putaretur, & non esset, cap. 70.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

518 DE DIVERSIS VISIONIBVS

magnis martyribus in meritis præferendus est, qui tanta, & tam crebra miracula post mortem fecisse nõ leguntur. Simile habes de sancto Anone Colonienfi Archiepif. cui cum post mortem multi detraherent, dicentes eum ecclesiarum fuisse difformem, & ciuium suorum excœcatorem, Dominus Deus in translatione illius, quantæ sanctitatis esset, signis plurimis ostendit. APOLLONIVS: Probabile est quod dicis, sed aliud est quod me mouet. Sepe contingit, vt pro reliquiis sanctorum aliæ res habeantur, & pro veris falsæ venerentur: videntur tibi huiusmodi veneratores peccare, an mereri? CAESARIVS: Meo iudicio, ignorantia in talibus excusat culpam, pietatis meretur gratiam: hoc verum esse, certum est, quia quâdoque Dominus per falsas reliquias ad honorem sanctorum, quibus adscribuntur, & fide honorantibus illos, miracula operatur. Verbi gratia.

Reliquias falsas pro veris venerantes ex ignorantia, nõ peccare sed mereri.

CAPVT LXX.

Miles quidam prædictum martyrem beatum Thomam Cantuariensem ardentissimè diligens, si aliquid de illius posset habere reliquias circumquaque inuestigauit: hoc cum audisset quidam dolosus sacerdos, in cuius domo hospitabatur, ait illi: Ego frenum, quo diu vsus est beatus Thomas, penes me habeo, & saepe virtutes eius expertus sum. Quod miles audiens, & ita esse putans, sacerdoti pecuniam postulatam letus obtulit, & frenum cum multa deuotione recepit: Deus verò, cui nihil est impossibile, fidem militis remunerare volens, ad honorem sui martyris multa per idem frenum facere dignatus est miracula; quod miles considerans, in honore martyris ecclesiam cõdidit, loco reliquiarum frenum sacerdotis pessimi in ea reponens. Hic sit finis de visionibus martyrum, quia compendio vti volens, ad ordinem festino confessorum. APOLLONIVS: Qui sint confessores, & quare sic dicti, mihi edicito, postea visiones subjungas.

CAPVT